



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Servitus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Eiusdem  
sententia.  
Horat. l. 1.  
Seruus no-  
ni avarum  
quendam.

patefcatur interpretatione, quam luculentis his Petronii ver-  
bus?

*Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit  
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.  
Divitis hac magnifacies erit, omnia late  
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.*



SERVITUS.

Artem. l. 8.  
cap. 50.

Apud Onirocritas pedes servorum indicia sunt: utpote  
qui totius corporis pondus sustineant, uti opera domi-  
nurique faciendae servis incumbunt, & quae perperam egerint,  
compedum supplicio puniuntur.

TRIUMPHATOR. CAP. XLIV,

Quoniam vero Regum triumphantium mos erat captivorum corpora pedibus conculcare, sub-  
jectionis signum, triumphandum hominem per ita positum pedem Romana pleraque signa  
significant, eoque speciat versiculus ex Psal. 66. *Imposuisti homines supra capita nostra, hoc est, de nobis  
triumphum aliis concessisti.*

VIA. CAP. XLV.

Et in profa-  
nis, hinc il-  
lud τῶν  
ποδῶν  
ἐπιπέτα  
ἄδος,  
pedum ἑστῶ  
est via.  
Aen. lib. 6.

Ab officio quoque pedes in Divinis literis viae perfectionisque significatum habent. Unde ple-  
rumque videas vetustis in imaginibus, Deum pingi pedibus intra nubes absconditis, quod fati-  
dici vates nostri volentes carnis à Deo assumptae viam (eam Theologi nostri adventum dicunt) ar-  
canam, obscuram & incognitam fore significare, eam praeferebant speciem. Hinc Davides offusam  
ad divinos pedes caligenem canit Psal. 18. Sed quod idem alibi canit: *Pes meus stetit in via recta,*  
dictum volunt veteres Theologi: propterea quod non solum manus, sed etiam pedes pro actione  
progressive negotiorum accipiuntur. Et Levitico, ubi sacrificium fertur pro sacerdotum conse-  
cratione, pollices manuum & dexterorum pedum, hostiae sanguine oblinuntur: dexteris quidem  
partes obunctas ponunt, quia bonorum haec sunt operum indices, cum sinistrae pro pravis accipian-  
tur. Nam & Maro, *dexteram*, ait, *esse iter ad Elysium; ad levam malorum exercet penas, & ad impia ma-  
tram mittit.* Quod vero unctionis mentio facta est, ea sane vigoris, conservationis, & salutis af-  
secutionem significat. Unde etiam apud Gentes athletarum non nisi oleo delibuti certamen inibant.  
Non ungi vero, in Divinis iisdem literis desolationem, ruinam, & perditionem indicat. Sic in Agy-  
pto sublatis sunt una nocte omnes quotquot limina postesque intinctos Agni sanguine non habuere,  
ut Hesy chius ait.

SOLSTITIUM HYEMALE.

CAP. XLVI.

Solis cursum in hyemali solstitio significare si vellent Aegyptii sacerdotes, pedes duos compelli-  
bus implicitos, atque ita progredientes (nisi codex impressus mendosus est) effingebant, quod  
Sol tunc lentius, & quasi pedicis coercitus ingredi videatur. Sedenim hujus rei longe aliam pictu-  
ram esse diximus in commentario Polypi, ubi manuscriptos Horo codices, duos Polypos invicem  
colligatos, non pedes duos, habere monuimus.

VOLUPTARIII AFFECTUS.

CAP. XLVII.

In Solabilla  
Achilles  
prater ta-  
los.

Philosophi antiquiores, quiq; doctrinam eorum secuti sunt, pedes pro contemptissima parte po-  
nunt, esseq; in anima pedes ajunt voluptuarios affectus, Venereae mollitudini mancipatos. Qui-  
que Achilles figmentum interpretantur, fuisse illum inviolabilem praeter talos, qui Stygis aqua il-  
lino nequiverint, quod ea parte manu matris tentus fuerit, cum ab ea est fatalibus undis immerisus:  
ea autem parte saucium periisse, id sibi velle fabulam dicunt, quod fortis alioqui homo adversis cu-  
sibus omnibus animosus, nullaque fortunae injuria dejectus, libidini tamen ita interdum succum-  
bere